

pus differre debuit, vel, urgente gravi causa, uti veteri Chrismate, si quod adhuc supersit. *Voit, n. 231.*

239. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Chrisma debet certo esse benedictum ab Episcopo, ratione præcepti. Ita omnes, ait *S. Lig. n. 163.*

2<sup>o</sup> Chrisma debet etiam certo esse benedictum, saltem a Sacerdote, ratione Sacramenti; constat ex Decreto Clement. VIII apud *Bened. XIV, de Synodo, l. 8, c. 1. Vide S. Lig. ibid.*

3<sup>o</sup> *Controvertitur* autem utrum Chrisma debeat esse benedictum ab Episcopo, ratione Sacramenti, seu ad Sacramenti validitatem. Affirmant communius, quia id præscribitur Decreto Eugenii IV, ubi dicitur, materiam Confirmationis esse *Chrisma ab Episcopo benedictum*. Negant tamen Theologi non pauci probabiliter. Ratio est, quia Papa concedere potest simplici Sacerdoti facultatem benedicendi oleum, sicut ei conferre valet potestatem confirmandi. In praxi tenenda est prima sententia utpote tutior, ait *S. Lig. n. 163.* Cæterum quæstio hæc minimi est momenti, cum benedictio Sacerdotis absque delegatione Papæ invalida sit.

## CASUS II.

MATERIA CONFIRMATIONIS 2<sup>o</sup>.

IRENÆUS, adhuc puer, a matre in Ecclesiam, Sacramentum Confirmationis recipiendi gratia, deductus est, quando jam sacram cæremoniam Episcopus inceperat, nimirum, cum recitatis orationibus consuets, expansisque manibus super confirmandos, jam ad singulos pueros Chrismate inungendos devenerat. Inter cæteros mox collocatus, nulla interposita mora, ab Episcopo sacra unctione fuit delibutus. Postea vero, cum clericalem vocationem suscepisset, atque ad subdiaconatus Ordinem jamjam esset promovendus, de testimonio acceptæ Confirmationis inquirens, audit ab ipsa matre quomodo res peracta fuisset. Qua propter scrupulis angicœpit circa Sacramenti validitatem; verens tamen ne ab Ordinatione arceretur, rem alto silentio compressit. At sacro Ordine suscepto, majoribus conscientiæ stimulis agitatus, Episcopum adiit, eique omnia pandit, postulans ut denuo confirmaretur. Sed ejus votis Episcopus obtemperare noluit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An IRENÆUS valide confirmatus fuerit?*

2<sup>o</sup> *An graviter peccaverit, Ordinem suscipiendo in hypothesisi quod confirmatus non fuerit?*

SOLUTIO :

240. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* IRENÆUS ut valide confirmatus habendus est. Ratio est, quia materia proxima Confirmationis consistit in sola unctione chrysmatis, manu Episcopi facta super frontem confirmandi. Plures quidem olim contendebant, materiam adæquatam consistere etiam ex parte in impositione manuum Episcopi super omnes simul facta, sub initium sacræ cæremoniæ. Sed hodie certo constat, ritum hunc esse de

mero Ecclesiæ præcepto pro Confirmationis ministro, non vero ad Sacramenti essentiam requiri. Constat ex Declaratione *Benedicti XIV*, Epistola encyclica *Ex quo primum*, ubi præsertim dicit : *Quod itaque extra controversiam est hoc dicatur : nimirum, in Ecclesia Latina, Confirmationis Sacramentum conferri adhibito sacro Chrismate, sive Oleo olivarum balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte susipientis, dum idem Minister verba formæ profert.* Ibi igitur docet Pontifex esse extra controversiam, valide Sacramentum conferri cum sola Chrysmatis unctione, adhibita per manum Episcopi, et unicam esse formam, eamque unctionem comitari. Ergo recte egit Episcopus, cum IRENÆUM denuo confirmare noluit. *S. Lig. n. 164*, dicit hanc doctrinam, post Pontificis Declarationem, omnino tutam esse. — Concinit *Gousset, n. 130.*

241. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Nego* probabilius, juxta sententiam communem. Ratio est, quia non apparet deordinatio gravis in hoc, quod quis non confirmatus Ordines suscipiat; verba enim Conc. Trid. non videntur præceptum grave continere. Sed accedens ad Ordines, ommissa Confirmatione, a peccato levi excusandus non est. *S. Lig. de Ordine, n. 786.*

## CASUS III.

## MINISTER CONFIRMATIONIS.

ALBERTUS, Missionarius apostolicus, ad extremas Americæ plagas abiturus, obtinuit a Summo Pontifice facultatem confirmandi eos omnes quos ipse baptizaturus esset. Intra paucos annos, infideles bene multos in Fide baptizat, et confirmat. Dum in festo solemniori Sacramentum Confirmationis conferret, ecce puer, quem ungere intendebat, inopinatus retrospexit; et contigit ut, loco frontis, maxillam confirmandi sacro Chrismate unxerit. Alias, dum pollice vulnerato signare frontes confirmandorum non possit, digitum indicem, vel etiam pollicem sinistrum adhibet. Alias etiam frontem lepra infectam, juvante penicillo, inungit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An simplex Sacerdos possit esse minister delegatus Confirmationis?*

2<sup>o</sup> *An ALBERTUS valide confirmaverit in maxilla, utendo indice, aut manu sinistra?*

3<sup>o</sup> *An valide confirmaverit juvante penicillo?*

SOLUTIO :

242. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Simplex Sacerdos potest esse minister extraordinarius Confirmationis, ex delegatione speciali. Constat ex praxi Ecclesiæ, et ex Constitutione *Benedicti XIV* : *Eo quamvis tempore.* Sed uti debet Chrismate ab Episcopo benedicto. *Recole dicta in casu primo, n. 239.*

243. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* ALBERTUS invalide confirmavit puerum in maxilla, quia materia proxima Confirmationis est unctio Chrysmatis bene-

dicti in fronte confirmandi. Eruitur ex decreto *Eugenii* et ex *Bulla Benedicti XIV*, citata in casu præcedenti. *S. Lig. n. 164, in fine, et Hom. ap. n. 41*. Valide confirmavit indice, vel alio digito, etiam manus sinistra, quia, licet in Ritualibus præscribatur ut unctio fiat pollice manus dextræ, hoc tamen, non videtur essenziale; sic enim sufficiens manus impositio habetur. Verum *per se* hoc est illicitum et probabilius quidem, sub gravi, juxta communem sententiam. Attamen, urgente necessitate, altero digito, vel manu sinistra Episcopus uti posset. *S. Lig. n. 165, et in Hom. ap. n. 40 et seq.*

244. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Neg.* Ratio est, quia, in hoc modo confirmandi, nulla habetur impositio manus Episcopi. *S. Lig. n. 166, et alii communiter. — V. Comp. n. 264.*

## CASUS IV.

SUBJECTUM CONFIRMATIONIS 1<sup>o</sup>.

ELODIA, matrona, christianorum officiorum sat incuriosa, ad provectam ætatem pervenit quin Sacramentum Confirmationis receperit, licet sæpius opportunitatem illud recipiendi habuerit, cum in civitate ipsa episcopali, in qua singulis annis ab Episcopo confertur, semper commorata fuerit. Illam pluries induxit quidem Confessarius, ut, data nova opportunitate, tanto Sacramento se muniret; veritus est tamen eam sub gravi obligatione urgere, ne, prætermisssa lege, gravius inde peccaret; aiebat enim ELODIA: « Quomodo jam senescens ego cum pueris et puellulis, Confirmationem « receptura, accedere potero? Id sane præstandi tantus mihi non erit « animus. » Itaque factum est ut mulier paulo post absque Confirmationis auxilio, aliis tamen Sacramentis munita, decederet.

HINC :

QUÆR. *An gravis detur obligatio Confirmationis Sacramentum suscipiendi? Seu, an ELODIA a gravi peccato excusari poterit?*

SOLUTIO :

245. — *Resp.* 1<sup>o</sup> Non est obligatio de necessitate medii. Nam, per Baptismum solum, haberi potest remissio peccatorum et vita æterna.

*R.* 2<sup>o</sup> An vero sit obligatio de præcepto? *Controvertitur.* Juxta *S. Lig. et alios*, datur obligatio sub gravi de præcepto divino, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione. Id probant ex Declaratione *Benedicti XIV*, in *Bulla Etsi pastoralis*, de ritibus et dogmatibus Græcorum. Sic enim ait, § 3, n. 4: « Monendi sunt (qui non sunt confirmati) ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt. »

Notat tamen *Scavini* verba *Bened. XIV* non concludere pro omnibus, quia Pontifex loquitur tantum de invalide confirmatis a Presbyteris græcis, qui renuebant de novo ad Confirmationem accedere, quasi primam ut validam haberent. Unde habebatur hic ratio particularis eos obligandi ad

Sacramentum Confirmationis suscipiendum, nempe ut errorem sic retractarent.

246. — Stante autem Theologorum controversia, ELODIA non fuit sub gravi urgenda ad Sacramentum Confirmationis recipiendum, sed tantum ad hoc adhortanda. Recte igitur egit Confessarius ab obligatione gravi declaranda abstinendo. Imo, etiamsi de præcepto divino constaret, adhuc prudenter egisset Confessarius, cum locus timendi fuerit ne mulier obligationi declarata non satisfaceret, et majus animæ detrimentum caperet. Etenim non sunt statim aperiendæ semper omnes obligationes quibus fideles adstringuntur; sed prudenter plures quandoque dissimulandæ sunt a Confessario, cum prævidetur poenitentem muneri suo satisfacturum non esse.

## CASUS V.

SUBJECTUM CONFIRMATIONIS 2<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> CATHARINA, pia mater, audiens Episcopum ad parociam advenisse, Confirmationem collaturus, festinat in Ecclesiam ducere filiolum suum quinquennem, et illum, propriis sustentans manibus, Prælato confirmandum offerre.

LINUS, peccati mortalis reus, data opportunitate recipiendi Sacramentum Confirmationis, omissa confessione, sed elicitâ contritione, illud recepit. MUTIUS vero, falso, sed bona fide, existimans se nullo vinculo lethali irretitum esse, cum fiducia, absque confessione, etiam confirmandus accedit.

3<sup>o</sup> FLACCUS, recepto Confirmationis Sacramento, in dubium venit de Baptismi sui validitate. Inquisitione facta, remanenteque dubio, necnon consultis hac de re sapientissimis viris, ipso efflagitante, iterum sub conditione baptizatus est. Sed dubitatur utrum etiam conditionaliter confirmari possit, vel debeat?

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Qualis ætas ad Confirmationem requiratur?*

2<sup>o</sup> *Qualis dispositio in confirmando; et an confessio sacramentalis præmitti debeat?*

3<sup>o</sup> *An ille qui, inscieter, peccati mortalis reus existit, effectum Sacramenti Confirmationis, et peccatorum remissionem consequatur?*

4<sup>o</sup> *An FLACCUS iterum confirmari possit, vel debeat?*

SOLUTIO :

247. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Nulla requiritur ætas ad Sacramentum Confirmationis valide recipiendum. Olim pueris statim post Baptismum conferebatur, et usus, pueros ante usum rationis confirmandi, adhuc in quibusdam locis servatur, ut apud Græcos et in Hispania; sed, ex praxi nunc generatim in Ecclesia vigente, non sunt confirmandi pueri qui usum rationis nondum adepti sunt, nisi legitima locorum consuetudo id per-

mittat. Constat insuper ex Const. *Bened. XIV : Eo quamvis. S. Lig. n. 178.*

248. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Confirmandus debet esse baptizatus, et, si adultus sit, debet præterea esse in statu gratiæ, et sufficienter instructus de rudimentis doctrinæ christianæ. Non requiritur autem *per se* confessio sacramentalis, *cum rigore loquendo*, quia confirmandus versari potest in statu gratiæ, vel eam per contritionem perfectam acquirere. In pluribus locis mos est, ut nullus confirmetur nisi testimonium peractæ confessionis exhibeat. « Requiritur, inquit *Billuart*, status gratiæ prudenter existimatus per confessionem, vel contritionem perfectam. » (*Art. 8, § 1.*) « Confirmandus, ait, *S. Lig. l. 6, n. 179*, existens in mortali, debet se « disponere ad Sacramentum Confirmationis, vel contritionem, vel attritionem una cum confessione; confessio enim videtur esse de consilio, « non de præcepto, ut communiter dicunt auctores. » Hinc generatim præstat fideles enixe adhortari ad confessionem Confirmationi præmittendam, potiusquam eos ad eam cogere. Ita etiam *Gousset* (1).

249. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Affirm. probabilius*, modo sit attritus, ut dicitur de quocumque Sacramento vivorum. Ratio est, quia Sacramenta vivorum debent *directe* et *per se* gratiæ augmentum et alios effectus suos producere in eis qui non ponunt obicem, ut est ille qui bona fide accedit ad Sacramentum suscipiendum; atqui non possunt hos effectus producere, quin peccatum mortale deleatur: ergo illud *indirecte* delere debent. *S. Lig. l. 6, n. 269.* — *V. Comp. de Sac. in genere, n. 192.*

*R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* FLACCUS etiam sub conditione confirmari potuit. Licet enim confirmatio non sit tantæ necessitatis quam Baptismus, est tamen maximæ utilitatis. Verum, etiam supposito præcepto, non videtur esse gravis obligatio ut Confirmationem denuo suscipiat, quia legi jam probabiliter satisfacit, et proinde illa ligari non potest.

(1) « Les Curés et les Vicaires exhorteront tous les confirmants à s'approcher, même « de bonne heure, du tribunal de la Pénitence; mais un Prêtre zélé, d'un zèle suivant « la science et la charité les y déterminera plus efficacement par la persuasion qu'en « exagérant les obligations du chrétien. Qu'il leur fasse connaître, autant que possible, « l'excellence du Sacrement, qu'il leur inspire le désir de le recevoir, et de le recevoir « dignement, et il obtiendra d'eux facilement qu'ils s'y préparent par le Sacrement de la « réconciliation. » *Gousset, n. 152.*

## CASUS DE EUCHARISTIA

SEU

*De materia utriusque consecrationis; de forma; de Ministro Eucharistiæ; de ejusdem subjecto; de dispositione animæ et corporis in subjecto; de Viatico; de Communionem frequenti.*

### CASUS I.

MATERIA CONSECRATIONIS PRIORIS.

1<sup>o</sup> VITALIS, Sacerdos, habitans in regione ubi triticum non crescit nec facile haberi potest, pro Sacramento Eucharistiæ perficiendo utitur Hostiis ex spelta, et aliquando ex siligine, seu secali, vel ex hordeo confectis; et interdum ex his omnibus simul permixtis.

2<sup>o</sup> ALBINUS, parochiæ præfectus, summo mane admonitus aliquem parochianum morti proximum esse, deficientibus Hostiis consecratis, se accingit ad Sacrum statim faciendum, ut Viaticum moribundo deferre possit. Sed obstupens advertit deficere quoque Hostias non consecratas, quippe quæ ut ipse mox rescit, pridie a pueris, Sacro ministrantibus, manducata fuerant. Nec farina triticea in promptu habetur. Quid igitur faciet miser? Accepto panis usualis frustulo, cum eo celebrat, et illius partem servat, moribundo tradendam.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quænam sit materia primæ consecrationis?*

2<sup>o</sup> *An valide VITALIS consecraverit, in primo casu?*

3<sup>o</sup> *An valide et licite ALBINUS, in secundo casu?*

SOLUTIO :

250. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Materia consecrationis est panis triticeus, seu panis qui vulgo habetur ut panis proprie dictus.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* VITALIS non valide consecravit cum pane *hordeaceo*, quia non est panis proprie dictus, neque, probabilius, cum pane ex *siligine*, ob eandem rationem. In praxi igitur hæc materia utpote dubia, sub gravi, omnino prohibetur. Idem dicendum est de *spelta* seu de *farre*. Attamen datur in aliquibus locis aliqua species frumenti, sub nomine *speltæ*, ex qua panis proprie dictus conficitur. Hinc, ad communem æstimationem hominum peritorum in hoc maxime attendendum est. *S. Lig. n. 200.* — *Voit, n. 275.* Commixtio autem a VITALI facta materiam quoque dubiam exhibet; imo, si hordei quantitas præstantior sit, materia prorsus invalida est.